Pc
1973

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-28131/fragment/page=00000001

6356.

EPHRAEMIANA
IN
LIBRVM IOBI

ORATIONI
PROFESSIONIS PHILOSOPHIAE EXTRAORDINARIAE
IN VNIVERSITATE LITTERARVM
LIPSIENSI
ADEVNDAE CAVSA
HABENDAE
PRAEMISSA

AB
IVSTO FRIDERICO FRORIEP

A. D. XXVII. MAII. MDCCLXIX.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-28131/fragment/page=00000005

BIBLIOTHEK
der
Deutschen
Morgenländischen
Gesellschaft.

Aus
GILDEMEISTER'S
Vermächtniss.

EPHRAEMIANA
IN
LIBRVM IOBI.

Cogitanti mihi, quid ſcriberem, (praeter continuandum de vtilitate linguae arabicae in defendendis nonnullis locis τȣ̃ כתיב ſpecimen) cum ſcribenda nonnulla eſſent, facile placuit, diſſerere paululum de Ephraëmo Syro, aut potius afferre quaedam eius in librum Iobi ſcholia, additis annotationibus haud omnino contemnendis. Nam, linguis hebraica atque arabica exceptis, caeterarum Orientis dialectorum nulla magis delector, nulla dignior, melior, vtilior mihi videtur ſyriaca. Et interpreti ſcripturarum inprimis commendanda eſt varias ob cauſas, quas recenſere nolo, quum in iis enodandis iam alii magnam atque eximiam collocarint diligentiam. Sed plurimi eorum, qui linguam ſyriacam inſeruire hebraicae melius intelligendae crederent, afferrentque multa huius generis exempla, verſati ſunt in verſione bibliorum ſyriaca, nec confugerunt ad alia, quae Syris debemus, ſcripta. Quod quidem non improbo ſimpliciter, nam maximum puto ponendum eſſe diſcrimen eos inter, qui, cum accederent ad codicem ſacrum explanandum, inuiti ca-

ruerunt consuetudine cum scriptoribus e gente Syrorum, atque interpretes, quibus data fuit occasio euoluendi eos interrogandique, quam nihilominus neglexerunt. Quis est (vt quoddam in medium adducam nomen) qui praeclarum illum atque excellentem virum, Ludouicum de Dieu, quem omnes concedunt versatissimum fuisse in litteratura Orientis, reprehendere velit, quod ad illustrandum foedus vtrumque ex idiomate syriaco, praeter versionem illam, fere nulla alia, quae a Syris profecta sunt, scripta adhibuerit? Etenim eo tempore, quo vixit laudatus Philologus, ex mea quidem sententia huc vsque, si commoda spectes, quae ex lingua syriaca tam ex parte Critices, quam interpretationis ad hebraicam redundant, optimus eorum iudex, nec Assemani bibliotheca orientalis, nec Ephraëmi opera syriaca, nec alia, leuioris licet momenti, scripta apparuerant. Sed Schultensium si cogitamus Prouerbia Salomonis Iobique fata explicantem, origines hebraeas inquirentem, animaduersiones ad varia loca V. T. colligentem, conscribentem alia bono scripturarum interpreti scitu necessaria, nec consulentem scriptores Syriacos, ex parte modo eum absoluere possumus. Nam cum iuuenilia, vt animaduersiones ante dictas aliasque in Iobum nominare solebat, ederet, Assemanorum de litteratura syriaca merita latebant; deinde ex eius scriptis patet, calluisse eum linguam syriacam, vsum, quae ea scriptae sunt, bibliorum versionibus et ad criticam et ad exegesin; denique non ignotum est, quantam dederit operam amori erga foetus ingenii Arabum instillando, alendo, propagando. Quae quidem omnino faciunt ad eum defendendum. Licet vero fateor, me, si fas est ita loqui, fauere Lugdunensium Philologo, tamen non praetermittam, quae in partem contrariam dici possunt. Scilicet commentaturus ad Iobi librum, prouerbiaque Salomonis, bene egisset, si scripta syriaca percurrisset, atque ea, quibus fortasse nonnullis vtriusque libri locis noua aut melior lux affunderetur, excerpsisset. Iam, quum Ephraemi operum syriacorum tomus secundus, quo scholia in librum Iobi continentur, anno huius seculi quadragesimo demum prodiret, quid mirum? Schultensium eo vsum non fuisse, interpretatum Iobi historiam; quumque Ephraemus tales annotationes, quales in librum Iobi ab eo exaratae sunt, ad pro-

uerbia

uerbia Salomonis non attulerit, quid mirum? commentatorem illum non hauſiſſe ex Ephraëmi ſcriptis. Sed oportebat eum omnino, quos legere poterat, Syrorum ſcriptores conſulere, ſi vellet extra omnem culpam ſe ponere; quodſi neglexerit, iure quodam vituperandus venit. Nam Theologo, qui, vt decet, et interpres codicis ſacri eſt et cognitione hiſtoriae eccleſiaſticae probe imbutus, ſcientia linguae ſyriacae paullo vberior valde vtilis eſſe videtur. Quae etiamſi omne punctum non ferat, nec in eo, qui alii litterarum generi omnibus incumbit viribus, ferre queat, mediocris tamen, et nixa legendis Syrorum libris laudanda eſt. Sit mos hominum, vt, quae Cicero alicubi commemorat, adducam, vt nolint eundem pluribus rebus excellere; nonne ſaepius tempora incidunt, quibus nolle hoc forſan probari poteſt? Neminem fore credo, qui neget, Schultenſium fuiſſe virum ingenii magni, magnae doctrinae, magnique iudicii, quamuis eum incomparabili, et ſola quidem illa, litteraturae arabicae cognitione *excelluiſſe* videat. Clamet, qui optimo inſtrumenti hebraici interprete maiorem ſe iactat! clamet, vociferetur, reprehendat eius contra linguam ſyriacam odium! equidem mitius de Schultenſio fero iudicium, putans, eum Syrorum dialecto fauiſſe, nec vero ea, qua ſieri potuiſſet, ratione vſum fuiſſe. Igitur eos laude maxima dignos arbitror, qui noſtra aetate litteraturae ſyriacae vberius cognoſcendae nauant operam, inueſtigationem eius commendant, quam vtilis ea ſit, quamque neceſſaria exemplis variis atque grauibus oſtendunt, neque vero iſta ſolum, quae fuit conſuetudo maiorum, e verſionibus bibliorum, ſed etiam ex Aſſemani bibliotheca orientali librisque Ephraemi petunt. Eſſe et noſtro tempore, qui, his neglectis, in illis haerentes linguae ſyriacae peritiſſimos ſeſe profiteantur, quis eſt, qui neſciat? ſed hos non curo, hos refutare nolo, hos, ſi obedire velint, iubeo, vt cogitent, interpretationibusne legendis an ſcriptis originalibus euoluendis debeatur atque adſcribi queat linguarum certior meliorque cognitio? Commemorarem ab altera parte eos, qui prudentius de hac re nuperrime iudicarunt, niſi crederem, I. D. Michaelem atque Io. Matthiam Haſſencampium V. V. C. C. lectoribus meis iamiam in mentem veniſſe; dicerem, cuinam primae tribuendae ſint, aut potius cui-

nam eas aliquando delatura sit posteritas, nisi vererer, vtne ab aliis iudex paullo iniustior, ab aliis adeo propheta, quod quidem nomen gratulari mihi nequeo, dici possem; indicarem vtriusque libellos ad illud, de quo mihi sermo est, spectantes, nisi apud me constituissem, alio loco (sc. *in den Nachrichten von den merkwürdigsten theologischen Schriften unsrer Zeit*) vberius de iis loqui; atque afferrem plura, nisi verborum ambagibus vti nonnullis viderer. Sed hoc brevibus liceat dicere, Philologum Goettingensem versari praesertim in illustrando sacro codice e libris Syrorum antea dictis et e versionibus, Rinteliensem vero dare operam historiae textus sacri atque dogmatum ex Ephraemi operibus enucleandae, ab vtroque plura merito exspectari. Εν παροδῳ moneo eos, qui linguam syriacam amare incipiunt, vt historiae tam ecclesiasticae, quam ciuilis rationem habeant, quae vtraque olim scriptoribus syriacis atque arabicis multa debebit. Quod quidem perlegenti mihi Assemani bibliothecam orientalem saepius obseruatum, atque scribenti primam bibliothecae arabicae partem ac reprehendenti b. Moshemium dictum est.

Ephraemi opera syriaca ad codicem sacrum V. T. interpretandum ea ratione, qua equidem iis vtor, huc vsque adhibita non sunt. Quemadmodum primus ausus fui, notarum coranicarum ad V. T. edere specimen, ita et dicere possum, primum me esse, qui Ephraemiana (qua voce quid sit intelligendum quanquam facile patet, tamen quorundam causa post declarabo) in librum Iobi, inque vetus foedus colligam, collecta diiudicem, diiudicataque aut retineam aut reiiciam. Etenim illi quidem, quos ante nominaui, vlterius progressi, non e versionibus bibliorum solum, sed etiam ex aliis Syrorum scriptis hauserunt, codicem sacrum interpretati; nec vero vnicum, quem sequerentur, auctorem e. c. Ephraëmum nostrum, vt Krebsius V. C. in graecis Iosephum, vt S. V. Carpzouius Theologus Helmstadiensis (cuius exercitationes in ep. Pauli ad Hebraeos e Philone praesertim speciminibus a me conscriptis quodammodo respondent) Philonem, vt alii alios, ob oculos sibi posuerunt. Sint imperfecta a me scripta, et sentio esse, sint reprehendenda, quam quod maxime, attamen scio, esse ea haud

omni

omni laude, vel si mauis, indulgentia indigna, scribat alius, cui maior est diligent.a, ingenium maius, maiorque doctrina, meis perfectiora et meliora, et profecto venient, qui scripturi sunt, bone Deus! quam iucundum mihi hoc erit, quam gratum, quam vtile, quanta cupiditate ab iis discam! quam grato animo ab iis dicta accipiam! quanta laude eos prosequar! Illi, qui viam quasi aperuit, semper manebit quoddam meritum, licet aspera loca atque inculta supersint, aliis colenda, licet ab his bene colantur. Opto, vt alii in alios bibliorum libros, quos interpretatus est Ephraemus, excurrant, vti ego Iobi historiam elegi.

Vitam Ephraëmi Syri frustra hic quaeres, nec enim in ea describenda tempus atque operam collocabo. Vixisse eum seculo post Christum natum quarto, ac multa scripsisse satis constat. Caeterum iis, quorum interest, auctores, qui de ea vberius exposuerunt, nosse, nonnullos nominabo. Quae Moshemius (institutt. hist. eccles. ed. 1755. 4. p. 160.) habet, nimis breuia sunt, et solet semper in enarrandis ingeniorum vitis breuis esse, qua quidem in re cl. Schroeckhius victoriam ab eo reportabit certissimam, quam aliquando concelebratura est eruditorum vniuersitas. Plura affert Caue, (scriptor. ecclesiasticor. hist. litter. P. I. 188-91. P. II. 73. Lond. 1698. fol.) qui Ephraemum scriptorem πολύγραφον dicit. Multa de Ephraëmo enarrat Tillemont, (memoires pour servir a l'histoire ecclesiastique des six premiers siecles tom. VIII. P. I. p. 434-535. a Bruxelles 1719.) qui tamen saepius veris falsa immiscet e. c. dicens: Ephraëmum linguam syriacam tantum calluisse, cum nihilominus constet, eum linguarum aegyptiacae atque graecae probe gnarum fuisse. Quam ob rem Gallum a Syro, cui optimam de vita Ephraëmi Syri debemus enarrationem, castigari (Assemani bibliotheca orient. T. I. p. 55.) video. Est is Syrus Maronita Ioseph Simonius Assemanus; confer eius bibliothecam orientalem Clementino-Vaticanam, Tomo I. p. 24-164. (Romae 1719. fol.) siue caput VI. Sed est etiam, vt Prolegomena tomi primi operum Ephraëmi (graece et latine Romae 1732. fol.) ac praesertim eiusdem illius Assemani praefatio p. 1. (4) perlegantur. Quum enim historia viri eruditi eiusque fata nobis narrantur,

tur, nec annum, quo natus est, nec parentes, a quibus educatus fuit, nec alia leuiora, quibus forsan carere possumus, scire solum cupimus, sed quae scripserit, quale eorum sit argumentum, quodnam de iis tulerit antiquitas iudicium, quale iis sit pretium, haec inter alia scire volumus. Sed haec inueniuntur in Assemani illa narratione, quae licet talis non sit, qualis Nepotis vel Plutarchi, tamen maximi est aestimanda multas ob causas, quibus commemorandis supersedere possum. Dicere me oportet, nobis esse praestantem operum Ephraëmi editionem, quae a multis optata inde ab anno 1732 Romae prodiit sex comprehensa voluminibus, quorum tria graeco-latina, tria vero syriaco-latina habentur. Atque posteriorum quidem illorum tomus secundus, (primus in lucem editus erat anno huius seculi XXXVII) in quo a pag. 1-19 ea inuenies, quibus nomen Ephraemianorum in librum Iobi dedi, prodiit Romae 1740. Quam editionem thesaurum esse, atque litteraturae syriacae promouendae vtilissimam, non est, quod vberius affirmem. Sed dicenda mihi sunt alia, priusquam Ephraëmiana ipsa afferam, inque diiudicandis iis versor.

Ephraemus Commentarium perpetuum, vt dicere solent, in librum Iobi non scripsit, sed tantum scholia quaedam, quae Ephraemiana voco. Si cui haec cogitanti vel audienti Taubmanniana aliaque his proxime accedentia in mentem veniunt, quid ad me? Iam fuerunt, qui annotationes aliorum ad codicem sacrum eo, quo vtor nomine, appellarent. Laudibus summis prosequerer, si commendatione mea egerent, S. R. Io. Dieterici Winckleri, Theologi Hamburgensis meritissimi, Philologemata *Lactantiana* Sacra variis locis tum sacri codicis illustrandis tum Lactantii explicandis corrigendisque inseruientia, quae Brunsuigae 1754. 8. prodiere. Nam iis insunt praeclara multa, acumen ingenii, iudicia iusta, cognitio linguarum accurata, vasta historiae litterariae peritia, alia. Sed versantur tantummodo in institutionum diuinarum libris, licet variis antiqui foederis ac noui lucem accendant, nec ad vnicum bibliorum librum modo spectent. Videas quaeso praefationem libri citati p. XXXIII. Quis est, qui nomen Ephraemianorum, viro tali praeunte, in malam partem interpretur, obque illud electum

mihi

mihi iraſcatur? Dicam, quoniam ita placet, ſeque offert occaſio comparandi, quae ſecum conferri poſſunt, ac diſcernendi, quae a ſe diſcernuntur, quodnam intercedat diſcrimen, quaeue ſimilitudo ſpecimina a me ex Ephraemo edenda inter, atque Lactantiana Winckleri Carpzouiique Philoniana; liceat enim exercitationes ſupra commemoratas ita vocare. Scilicet ille vnicum modo Lactantii librum eligit, e quo vtrumque bibliorum inſtrumentum illuſtrat, hic vnicum modo noui foederis librum, quem vt interpretaretur, totum quaſi perlegit Philonem, ob oculos ſibi ponit. Sic ego minorem Ephraemi operum ſyriacorum partem mihi vindicaui, quam paulatim percurrerem, qua quidem in re cum priori facio, absque poſteriori diſcedo; ſed ex illa parte vnicum modo ſacri codicis librum explanans Theologum Helmſtadienſem ſequor atque Hamburgenſem me vlterius procedentem experior. Verum obſeruandum mihi eſt, primo, Ephraemi animaduerſiones in librum Iobi non vnicas eas eſſe, in quibus conſiderandis ſtudia mea, Deo fauente, collocaturus ſim, ſed ad finem iis perductis me accincturum me eſſe ad colligenda etiam Ephraëmiana in librum Prophetiarum Ieſaiae, (niſi alius me anteueniat) quae in eodem cum ſcholiis ad Iobum volumine inde a pag. 20-97 inueniuntur; deinde, me omnibus, quae Ephraemus ſcripſit, operibus, in lucem editis, legendis daturum eſſe operam, ea, quae ad Iobum faciunt, ſpectaturum excerpturumque. Nam et in aliis locis Ephraemus quaedam ex Iobi hiſtoria adducit, tam Criticae, quam exegeſi inſeruientia. Eadem vero ratione, qua Ephraemi ſcholia in librum ſaepius dictum tractabo, agam de eius in Ieſaiam obſeruationibus, deque aliis, ſi fieri poteſt.

Cur vero Iobi librum in praeſenti elegerim, dicam, variae enim, quibus admouerer, fuerunt cauſae. In his liber ipſe, quem vehementer amo. Nimirum ſi hiſtoriam, cuius in eo mentio fit, lego, ſi eloquia Iobi eique amicorum audio, ſi mentem et animum ſingulorum inquiro, ſi deſcriptiones regni naturae pulcherrimas, narrationes de Deo, de eius prouidentia, omniſcientia, benignitate, omnipotentia, de aliis ad Eum ſpectantibus grauiſſimas attente auſculto, ſi ſublimius cogitata elegantiſſimeque dicta per-

pendo,

pendo, neſcio quam percipiat animus meus voluptatem, quem veri, iuſti, magni, tremendi, manſueti ſenſum, quod contra improbos odium, quem virtutis amorem incredibilem, quam erga Deum atque homines pietatem. Vt ea, quae in hoc libro ad redemtorem, ſpem incolarum terrae vnicam, ſpectant, praetermittam, ne quibusdam reprehendendi occaſionem offerre videar. Sed idem liber, qui lectores ſapientes maxime hilares reddit, multis in locis difficilis eſt intellectu. Legentes illum ac feruore quodam percurrentes (vtinam omnes litterarum ſacrarum ſtudioſi non ſolum Iobi hiſtoriam, ſed et ceteros veteris teſtamenti poëtas, ſed et omnes ſcriptores ſacros, mediocri licet linguarum cognitione praediti in initio legerent) multa penitus cognoſcere nobis perſuademus, quae tamen accuratius inquirentes ignoramus. Conſulere tum ſolemus ſcripturarum interpretes, ac quamuis nobis contingat tam eſſe felicibus, vt verborum quorundam et phraſium et capitum experiamur ab iis ſenſum, tamen plurima reſtant aliis explicanda. Felices nos, ſi alii hi ſumus. Confiteri nos oportet, Schultenſium, Bochartum, (in Hierozoico) Reimarum, (in epimetris ac notis ad Hofmanni expoſitionem Iobi) auctorem obſeruationum miſcellanearum in librum Iobi, (Amſtel. 1758. 8.) quo de auctore Beni. Kennicot (the ſtate of the printed hebrew text of the old teſtament conſidered, diſſertation the ſecond. Oxonii 1759. 8) aliquod notatu haud indignum affert, prae aliis vtilem ac felicem operam libro Iobi melius intelligendo dediſſe. Sed et ipſi dixerunt, eſſe eum intellectu paullo difficiliorem, multa, quae explicanda ſubierunt, loca a ſe haud ſatis illuſtrata pronuntiarunt, deſiderare ea plurium eruditorum induſtriam magnumque inquirendi ſtudium arbitrati. Eſt enim fuitque ſemper illuſtrium codicis ſacri interpretum, vtne homunculorum inſtar, qui linguarum iuſta cognitione deſtituti ſola philoſophia duce biblia explicare auſi ſunt, dicerent: ſe ſcripturas omnes perfecte intelligere, nec in iis quidquam, quod obſcurum ſit, inuenire, ſe e. c. in prophetiis Ieſaiae legendis, Vitringa praeeunte, (o viatorem eximium!) nunquam haerere, ſe librum Iobi, duce Schultenſio, priore profecto meliore, ne vllo quidem verſu excepto, explanare poſſe. Doceatis me, viri beati, hanc artem interpretandi, me auditorem videbi-

debi-

debitis obedientissimum, qui curaturus sum, vt monumentum memoriae vestrae ponatur. Verum vt ad illud, de quo sermo fuit, reuertar, ii, qui interpretati sunt Iobi librum, multa sibi haud explicita aliis illustranda quasi demandarunt. Sint pauca, quae in Ephraemi scholiis ad partem bibliorum saepius dictam explanandam faciunt, qua de re postea, exemplis enim ea, vt dicunt, illustratur, attamen haec pauca ab eo, qui vti illis poterat, e. c. ab interprete, quem nominaui, postremo, vt legerentur, lecta vero adhiberentur, quae est mea quidem sententia, necesse fuit. Reprehendenti ergo me, interpretationi locorum historiae Iobeae nonnullorum ex Ephraemo qualicunque operam dantem, interrogantique: curne a Mosis historia initium ducere velim? respondere ita possum: liber Iobi dulcedine sua me commouet, multorum labores expertus nec ab omni difficultate liberatus, dignusque, cui prae aliis bibliorum libris argumenti historici detur opera, me quoque tenet, ex Ephraëmi operibus, huc vsque eo consilio non adhibitis, variis eius locis siue nouam lucem accensurum, siue vetus lumen magis collustraturum; si tibi placet, priora Ephraemi scholia in Genesin aliasque codicis sacri partes ex ordine bibliorum, additis annotationibus, edere, aut ex omnibus Syri nostri operibus simul colligere Ephraëmiana in totum vetus instrumentum, gratulabor tibi hoc opus arduum. Equidem in praesenti in libro Iobi modo versabor, de reliquis alio tempore disputaturus.

Hac vero ratione Ephraëmiana in librum Iobi ob oculos ponam, vt primo interpretationem alicuius versus siue totius siue partis eius syriacam cum lectoribus communicem, cumque ea, quam in bibliis polyglottis anglicanis inuenimus, conferam, deinde ostendam, quomodo auctorem libri Iobi intellexerit Ephraemus, commentatus ad ea, quae ante fuerunt versa, denique tam de interpretatione quam commentatione iudicium meum qualecunque feram. Illud notas criticas voco, hoc exegeticas, postremum mixtas. Et priores quidem illas, vt breuis essem, signo α), secundas nota β), tertias charactere γ) notaui. Quae tres simul sumtae partem Ephraëmianorum in librum Iobi primam constituunt, nam altera in colligendis iis, quae passim in operibus Ephraëmi in-

ueniuntur, ad melius intelligendam viri patientissimi historiam spectantia, versabitur. Et partis prioris notae criticae et exegeticae, de mixtis enim vt meis nihil dicam, ne gloriari de iis videar, Kennicoto (cuius opus haud ignotum in aliis me impediuit, quo minus commemoratum pag. III. libellum continuarem) prodessent, textum Veteris Testamenti edituro; cui quidem Anglo multa alia, ad vtilitatem, quam opus, quod molitur, ex Ephraemo legendo capere potest, facientia dicere possem, si vellem.

Iam ergo in eo essem, vt opusculum ipsum quasi aggrederer, sed inuito mihi abrumpendum est orationis filum, videnti, in aliis syriaca characteribus syriacis hoc quidem tempore ea, quae mihi placeret, ratione exprimi non posse. Nam ad notas criticas quod attinet, necesse est, vt syriaca ipsa nonnunquam coram lectorum oculis appareant. Caeterum ex mea parte dabo operam, vt, quae hic desiderantur, propediem, si fieri potest, in lucem prodeant.

Sed haec hactenus. Nam veniendum mihi est ad id, cuius causa ea, quae ante obseruaui, praesertim scripta sunt. Scilicet crastino die XXVII Maii, Fauente Deo, munus Professoris Philosophiae publici extraordinarii in hac academia ab Electore Saxoniae Sereniſſimo, Domino FRIDERICO AVGVSTO mihi nuper demandatum oratione solemni adibo. Insigni hac Patris Patriae erga me benignitate eximie delector, praesertim cum primum me esse videam, qui sub Eius, Cui omnes perpetuam animi tranquillitatem et firmam corporis valetudinem Nestoreosque annos appecantur, regimine feliciter auspicato munus doctoris publici in academiis Saxoniae aggrediar. In illa vero oratione agam: *De aemulatione magnorum eruditorum.* Cui a me habendo sermoni vt adesse velint RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQVE CIVITATIS PATRES CONSCRIPTI, VIRI DIVINAE HVMANAEQVE SAPIENTIAE PERITISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI, NOBILISSIMI, SVAVISSIMIque, ea, qua par est, pietate atque obseruantia rogo. Dab. in Academia Lipsiensi a. d. XXVI Maii MDCCLXIX.

D: Dc 1973

ULB Halle
000 794 473
3/1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-28131/fragment/page=00000019



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-28131/fragment/page=00000020